DE CADYTI URBE HERODOTEA

DISSERTATIO

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE OBTINENDOS

IN

UNIVERSITATE LITERARUM

GEORGIA AUGUSTA

PUBLICE DEFENDET

DIE XIII APRILIS MENSIS A. MDCCCXXIX

FERDINANDUS HITZIG

BADENSIS.

OPPONENTIBUS:

ARMINIO ZEYSS, PHILOL. CAND.
CAROLO BERTHEAU, PH. DR.
C. F. CULEMANN, PH. DR.

GOTTINGAE

TYPIS DIETERICHIANIS.

MDCCCXXIX.

VIRIS VENERANDIS

JACOBO FREDERICO THEODORO ZANDT

POTENTISSIMO MAGNO DUCI BADARUM
A CONSILIIS ECCLESIASTICIS
LYCEI, QUOD DISCIPLINA ET LITERIS CAROLSRUHAE FLORET,
PROFESSORI ET DIRECTORI

FREDERICO GUILIELMO HITZIG

THEOLOGIAE DOCTORI S. V.
APUD LOERRACENSES CONCIONATORI
ET DIOECESEOS DECANO
P. M. D. B. A CONSILIIS ECCLESIASTICIS

FREDERICO GERSTNER

P. M. D. B.
A CONSILIIS ECCLESIASTICIS
LYCEI, QUOD LITERIS ET DISCIPLINA CAROLSRUHAE FLORET,
PROFESSORI DOCTISSIMO

VIRIS

DE ADOLESCENTIA SUA OPTIME MERITIS
SUIQUE AMANTISSIMIS

HANC QUALEMCUNQUE OPELLAM

PIETATIS DOCUMENTUM

EXSTARE VOLUIT

AUTOR.

Statuto universitatis literariae, quo, qui summos honores academicos ambiunt, dissertationem inauguralem publicare jubentur, satisfacturus, circumspexi argumentum idoneum, non omnino abhorrens a studiis meis, et de quo omnem quaestionem paucis absolvere possem. Dum hoc propositum mecum volvo, in mentem venit, de situ Cadytis urbis, cujus mentionem fecit Herodotus, ad nostra usque tempora dubitari et valde diversas esse virorum doctorum sententias: quae res documento est, nullam earum, quae exstant opiniones, rationibus satis firmis et validis esse superstructam. Quamobrem illam quaestionem rursus in disceptationem vocare constitui, scripta dissertatiuncula, non qui tam praeclara ingenia, quibus quaestio illa agitata est, ad scholas meas invitarem, sed a tantis viris, utrum recte senserim, necne, edoceri cupidus.

Quod reliquum est, candidos exopto scripto judices,* qui quae forte peccata sint, minime condonantes accurate notent, ut quos errores commiserim, in posterum possim evitare, atque in me quoque aliquis redundet censurae fructus.

§. 1.

De statu quaestionis nostrae.

Haud alienum ab instituto ratus, admoneri prius et edoceri de statu quaestionis lecturos, quam sententiae Virorum doctorum

exponantur, de natura et ratione disceptationis meae quam paucissimis absolvam. Ipsa quaestio cum ad Topographiam, quam dicunt, potest referri, tum ad memoriam rerum gestarum pertinet, neque tantum ex Herodoti voluminibus explicatur; sed etiam ex libris Hebraeorum sacris, qui in re domestica inprimis audiendi sunt, laetissima obscuritati rei lux affunditur.

Herodotus igitur libro II. cp. 159. commemorat Cadytin, magnam Syriae urbem, quam pugna cum Syris ad Magdolum commissa expugnaverit Nechao Aegypti rex. Ita autem ille: *Σύροισι πεζῇ ὁ Νεκῶς συμβαλὼν ἐν Μαγδόλῳ ἐνίκησε· μετὰ δὲ τὴν μάχην. Κάδυτιν πόλιν τῆς Συρίης ἐοῦσαν μεγάλην εἷλε.* Dudum convenit inter V. V. DD. Herodotum pro Megiddunte, ignobili Palaestinae oppido ex errore tradidisse Magdolum, מִגְדּוֹל, Aegypti urbem Syriam versus extremam, Ez. 29, 10, 30, 6. Erat haec utique pugnae cum Syris conserendae, ut confinis, idonea, eamque potuit Herodotus probe cognitam habere. At Megiddunte מְגִדּוֹ diserte nominant libri Hebraeorum 2 Reg. 23, 29 etc. 2 Paralip. 35, 22. ubi Josias, Judaeorum (Syrorum) rex ab Nechaone victus et caesus sit, quam eandem pugnam ab Herodoto l. l. intelligi, nemo dubitavit, et cum dubium esse non possit, quin major tribuenda sit auctoritas scriptoribus hebraicis in re ab ipsis Judaeis gesta, consequitur, in nomine similis soni errasse Herodotum.

Tertia exstat de loco, quo proelium illud factum sit, fama apud auctorem Flavium Josephum Arch. X, 5. §. 2. qui locum pugnae prodit Menden urbem Judaicae ditionis. Intelligi a Josepho opinor Menden, Aegyptiorum urbem in ea parte Aegypti sitam, quae Delta vocatur. Pro מְגִדּוֹ fortasse legit מְנִדּוֹ; verum omnino ejusmodi sententia futilis est et quae explodatur digna. Contra antiquissimam auctorum Hebraeorum traditionem confirmat etiam hoc, quod per loca invia et siti arentia Her. III, 5. occurrisse Nechaoni Josiam cum exercitu, nequaquam est credibile.

Loco igitur pugnae omni dubitationi exemto, pergimus ad alterum Herodoti de Cadyti urbe locum III, 5. cujus sententia haec est: "Hac sola aditus Aegypti patet; a Phoenice scilicet usque ad confinia Cadytis urbis, quae est Syrorum Palaestinensium; tum a Cadyti, quae mihi urbs Sardibus haud multo minor videtur,

emporia maritima usque ad Jenysum urbem Arabum regis sunt. A Jenyso usque ad Serbonidem lacum, quem juxta Casius mons in mare excurrit, rursus Syrorum [1])." Hic praecipue locus in definienda Cadyti urbe ex usu erit: jam pergamus ad sententias Virorum Doctorum recensu complectendas et ex parte dijudicandas.

§. 2.

Sententiae virorum doctorum enumerantur.

Cum tam multa jam exstent de nostra quaestione scripta, meum esse arbitror, ut sententias hucusque prolatas earumque auctores recensendo historiam quasi disceptationis illius exhibeam, praesertim cum nusquam nisi mancam et imperfectam invenerim. Prima igitur prodeat opinio longissime aberrans et refutatione indigna eorum, *qui Cadytin urbem pro Carcusio habuere*, cui opinioni neque ulla res favet et quaevis adversatur. Suscipere sese hujus sententiae patrocinium profiteri ausi sunt *Simsonius* in Chron. Cathol. Ann. 3392. Thom. *Galeus* ad Herod. II, 159. et *Pauw.*

2. Secunda est et errore judicii et oppidi positione opinio eorum, *qui Kedesch, in Galilaea situm, Kadytin esse putavere.* Ex iis affero *Clericum* ad 2 Reg. 23, 29. plus incuriae afferentem ipsum, quam ingenii et doctrinae. Sequitur *Des Vignoles*, Chronol. de l'hist. sainte etc. IV, c. 3. p. 141–43. Idem sensit *Calmet* Lexic. bibl. III. s. v. Kadesch Barnea. Clericum certe quidem alterum Herodoti locum non novisse persuasum habeo.

3. *Perizonius* in Orig. Aegypt. p. 417. intelligit *Kadesch Barneam*, sitam in deserto, quo australe Palaestinae latus clau-

---

[1]) Transscribo locum. *Μούνη δὲ ταύτῃ εἰσὶ φανεραὶ ἐσβολαὶ ἐς Αἴγυπτον· ἀπὸ γὰρ Φοινίκης μέχρι οὔρων τῶν Καδύτιος πόλιος, ἥ ἐστι Σύρων τῶν Παλαιστινῶν καλεομένων· ἀπὸ δὲ Καδύτιος, ἐούσης πόλιος (ὡς ἐμοὶ δοκέει) Σαρδίων οὐ πολλῷ ἐλάσσονος, ἀπὸ ταύτης τὰ ἐμπόρια τὰ ἐπὶ θαλάσσης μέχρι Ἰηνύσου πόλιός ἐστι τοῦ Αραβίου· ἀπὸ δὲ Ἰηνύσου, αὖτις Σύρων μέχρι Σερβωνίδος λίμνης, παρ' ἣν δὴ τὸ Κάσιον ὄρος τείνει ἐς θάλασσαν.*

ditur. At erroneae Clerici oppositam suscipiendo opinionem nequaquam verum tetigit.

4. Prima, cui aliqua species sit veritatis et similitudo, sequitur sententia doctissimi *Relandi*, *Cadytin interpretantis Gath*, inclytam Philistaeorum quondam urbem. V. ejus Palaestinam p. 668. Hanc opinionem, argumentis non adeo idoneis impugnatam ab Heinio diss. sacr. p. 233. paucis diluam. Loco Her. III, 5. urbs requiritur maritima, quod quidem in Gath urbem non cadit. Dein Nechaonis et Herodoti aetate minime magnam fuisse urbem Gath, arguit silentium scriptorum, inprimis Jeremiae 25, 20. cf. c. 47. et Zephanjae 2, 4. Etenim capta ab Usia rege 2 Paralip. 26, 6. atque eversa Am. 6, 2. Nechaonis Herodotique aetate non fuisse videtur, nisi vicus ignobilis.

5. Pervenimus ad eam sententiam, cui et multa favent et multi: Hierosolyma scilicet vocabulo Cadytis ab Herodoto designari. Post *Conringium*, *Lightfootum* (Chorogr. ad Marc. 3, 6. II. p. 408.) *Cellarium* (Geogr. Ant. Asiae p. 540.) *Vitringam* (Sacr. observ. II. p. 190. ed. 1723.) studiose hanc opinionem amplexus est *Heinius*: de Cadyti, magna Syriae urbe, in diss. sacris a p. 223. porro. Praeter illos huic sententiae adstipulatus est *Prideaux* in libro: The old and new test. connected, I, 44. 45. edit. VII. *Hamelsveld* nihil dubius in libro: Geogr. Bibl. p. 11. *Valckenaer*: Schediasma de Her. urbe Kadyti, in opusc. I, p. 155 sq. Ex recentioribus assensum praebuit *Jahn* (Archaeol. II, 196.) cum *Rennellio* in systemate Herod. geogr. p. 245. 683. Postremo hanc opinionem assensu suo ornaverunt *Heeren*: Ideen etc. II, 2. p. 402. edit. IV. in annot. et *Winer* in Repert. real. s. v. Jerusalem.

Verum noli putare, recentiores omnes in hanc sententiam abiisse. Ipse etiam *Danvillius* huic opinioni suffragium tulerat, Geogr. Ant. Abbr. II, 166., sed postquam cautissimus *Wesseling* ad Herod. III, 5. sibi non liquere erat fassus, *Larcherus* in tab. geogr. ex parte modo istam sententiam toleravit. *De Wettius*: Archaeol. p. 50. quaestionem nostram in medio relinquit; nihil statuunt Bredovius et Leo: ille in comp. hist. antiq. p. 115. 106. hic in hist. Hebraeor. p. 181. et tandem *Creuzerus* ipse in comm.

Herod. p. 286. ingenti virorum doctorum de hac re dissidio finem imponere noluit.

6. Restat una de Cadyti sententia, eamque prius quam ad refellendam proximam accingamur, statim subjungimus. Ejus solus patronus est *Isaacus Toussaint,* in commentatione: de urbe Cadyti Herodotea etc. Franequerae ao 1737 edita et disceptatore Tib. Hemsterhusio defensa. Tulit sententiam, mihi quoque probatam, *Gazam pro Kadyti habendam esse;* sed ipse commentationem hanc, anno post illas Heinii editam, quam Larcherus quoque non vidisse putandus est, non potui consulere, meamque sententiam animo prius informaveram, quam Toussainti judicatum ex Wesselingio cognovissem.

Mirum quidem, nullum ex iis, quos recensui scriptores, huic sententiae adstipulatum esse. Verum difficultatem, ortam ex nomine immutato, non dissolvisse videtur Toussaint, quare sic de eo Wesseling: "Gaza dissertationis Toussaint foret opportuna, modo nomen congrueret." Multos, ut Hierosolyma Cadytin putarent, movere potuit mala vocabuli οὔρων interpretatio, quod ante H. Stephanum interpretantibus "montium" statim in mentem venire solebat, Hierosolyma collibus imposita esse. Multis quoque nec non auctori ipsi, quo minus verum invenirent, obfuisse videtur illa Vitringae (sentientis, loco III, 5. Gazae mentionem requiri) opinio, Jenysum esse Gazam, עַזָּה, ע litera per gn, jn, expressa. v. Sacr. Obs. l. l. Assensum praebuerunt Heinius l. l §. V. Bachiene in Descript. pal. II, §. 389., postquam rejecerat § 35. et alii. At nostra tempestate ista eximii quidem viri opinio non eget refutatione, et integris viribus impugnanda jam illa sententia, cujus longe plurimi Viri Docti, et in his tanta ingenia auctores extiterunt.

§. 3.

Hierosolyma non esse pro Cadyti accipienda.

Civitas ampla, quo titulo deceptos multos credo, utroque Herodoti loco requiritur, quod in Hierosolyma cadere testimonio

Jeremiae, qui Nechaonis aetati aequalis fuit, firmare vix est opus, c. 22, 8. Neque nomine, variis [1]) quidem modis agitato, plane prohibemur, etsi in vocabulo קדש Syris quoque ש non in ת literam immutari, docte jam monuit Wesseling, quae res movere debuit Valckenaerium. Verum civitas maritima non sunt Hierosolyma, quam prorsus postulari loco III, 5 potest demonstrari.

Etenim Herodotus a Phoenice usque ad Cadytis civitatis fines patere ait Aegypti aditum. Num ab recto Aegypti itinere, in mediterranea Palaestinae aberrasse Herodotum credibile? Esto! num vera ejus sententia, cum exercitus nec possint, nec consueverint per mediam Palaestinam in Aegyptum tendere, sed moveri juxta oram maris? Porro Herodoto Kadytis Syriae est urbs extrema; non sunt Hierosolyma, a quibus quodsi rectâ ad mediterraneum progrediamur mare, secludamus necesse est et Azotum et Ascalonem cum Gaza contra Herodotum. Verum omnino urbs maritima non esse non potest Cadytis. Herodotus enim a Cadyti usque ad Jenysum urbes Arabum maritimas comprehendit; atqui incredibile est, ab Herodoto initium numerandi non a prima maritima civitate, sed ab alia quadam factum esse. Hanc equidem ineptiae notam Herodoto nostro non possum inurere.

At, objiciat quis, ex tua sententia Cadytis quoque Arabum est, nec maritima tantum urbs, sed etiam emporium? Esset, confiteor, nisi, priusquam ad Arabum civitates progrederetur, Herodotus terram a Phoenice usque ad Cadytin complexus esset, unde factum est, ut ab civitate Syrorum extrema, ne continua urbium maritimarum series intermitteretur, Arabum possent civitates maritimae, quae eaedem essent emporia, numero comprehendi, *ipsa*

---

[1]) Minime audiendus est Rennell l. l. qui nomen Cadytis ab nomine Arabico derivat, multis seculis post indito, al Kuds, القُدْس. Ipse Rennell in suum usum scribit al Kads (neque in translatione Bredovii germanica notatur p. 487.), quanquam Prideaux recte al Kuds scripserat, hoc nomen jam Herodoti tempore obtinuisse inter Arabes existimans. At non potuit emergere ante islamiticam religionem tale urbis nomen, et notitiâ illius Arabum aetatis tantum non omni destituimur.

Kadyti exemta. Igitur ad mare sitam esse Cadytin, ex Herodoti verbis consequitur, nentiquam fuisse Arabum emporium, quamquam fuit. Quae omnia cum Hierosolymis non congruere, manifestum est.

Hac quoque re tanqaum arce usi sunt VV. DD. quod teste Herodoto Cadytis, testibus rerum Hebraicarum scriptoribus Hierosolyma, post illam pugnam capta sint ab Nechaone. De Herodoti testimonio constat; quae tradiderunt scriptores Hebraici, cum nondum sint ad liquidum explorata, fusius jam et uberius sum examinaturus.

Nechao vel spatio aliquot annorum, quos, donec ad Euphratem Carcusiumque perveniret, consumsit, arguitur non rectâ petiisse Assyrios, sed obvium quemque populum in deditionem accipiendo pervenisse tandem ad Euphratem. Fines imperii Aegyptiaci ad Euphratem usque promotos disertis verbis testantur annales Regum II, 24. 7. De tempore absumto v. infra. Inde maxime fit verisimile, Judaeorum quoque regem Nechaoni stipendiarium fuisse, id quod asseritur 2 Reg. 23, 33. "In vincula Nechao conjecit Joachasum, dum rex fuit Hierosolymis, Riblae in Chamat terra, et imposuit terrae mulctam centum talenta argenti, auri unum." Simul regem suffecit Eliakimum, immutato nomine. Quae quidem omnia fieri poterant *deditione Judaeorum per foedus facta,* ne uno quidem intrante Hierosolyma milite Aegyptiaco. Sed pressius urgeamus! extemplo post pugnam Megiddunte factam Hierosolyma capta non sunt, quodsi factum fuisset, non populus Judaicus, sed Nechao creasset Josiae successorem, sicut post Joahasi. l. l. v. 30. Quodsi autem postea cepisset, non Riblae in vincula dedisset illum trium mensium regem, sed Hierosolymis ipsis. Mirandum quoque, neque prophetam quem, neque historiarum scriptorem de hac re aliquid memoriae prodidisse. Nam ne Paralipomena quidem disertis verbis hujus expugnationis mentionem injecerunt, et quo loco vulgo pro testimonio abutuntur, 2 Paral. 36, 3., is non intellexisse Regum annales l. l. paralipomenon scriptorem arguit. pro וַיַּאַסְרֵהוּ promit וַיְסִירֵהוּ et vocabulum בְּמְלֹךְ totum omittit, ita ut ipse הֵסִיר cum בְּ praepositione conjungens, vix possit intelligi. Quae cum ita sint, utrum capta ex ejus verbis efficere possimus Hierosolyma, nec ne, neutrum erit curandum. Item cum ne Josephus quidem, neque

scriptor alius captae urbis mentionem faciat, captam esse a Nechaone fabula habenda est, sine auctore edita: quae res et ipsa, Kadytin Herodoti non esse Hierosolyma, esse debet argumento.

§. 4.

Kadytin esse Gazam, ratione historica evincitur.

Quod tradit Herodotus, Cadytin a Nechaone expugnatam esse, idem de Gaza urbe ex sacro codice possumus depromere. Extat locus in nostram rem gravissimus Jerem. 47, 1. "Effatum Jehovae, quod pervenit ad Jeremiam prophetam, priusquam Pharao Gazam cepisset" Quisnam Pharao? Omnis controversiae cardo jam vertitur in ea quaestione, utrum iste Pharao habendus sit Nechao, nec ne. Et novi equidem, magnum Perizonium in Orig. Aeg. p. 459. Apriem a Jeremia significari censuisse. At sua sibimet sententia, male defensa, obstitit, quo minus Cadytin urbem recte definiret. Bachiene sententiam §. 39. prolatam ipse corrigit §. 384. ita ut Nechaonem statuat, quae sententia jam vulgo obtinere videtur. Merito! Etenim quodsi secus statueris, singulae et Herodoti et Jeremiae narrationes, neutra alterius veritatem confirmans, solae et desertae adstabunt, cum contra Nechaonem significari censendo, perspicua omnia et certa fiant et utriusque historia altera alteri testimonio sit. Oraculo autem Jeremiae cap. 47. toti Phoenicum et Philistaeorum imperio exitium imminens a Septentrione minatur propheta, quo bellum Chaldaicum a Nebucadnezare inferendum haud obscure denotatur. Post pugnam enim ad Carcusium factam, continuam oraculorum seriem emisit propheta, qua nostrum etiam continetur, cf. Jerem. 46, 2. a capite XLVI certe quidem usque ad quadragesimum nonum, cf. c. 25, 1. 20 quo tempore Nechao vixdum redux a pugna in Aegyptum pervenisse potest. Cur autem haesites in nomine Nechaonis non expresso, non est; nomen enim ille Pharao praeter hoc dignitatis verissime habuit et intelligendus prorsus Nechao 46, 25. cf. 2. idem non nominatur nisi פרעה. Idem fit Jerem. 23, 19. Nebucadnezarem vero a propheta bellumque Chaldaicum verbo

מִצְּפוֹן intendi, ipse scriptor indicat 46, 13. 26., quamquam demonstratione post inscriptum capiti titulum non eget.

§. 5.

Argumenta geographica.

Paulo supra exposuimus, loco Herod. III, 5. postulari, ut Cadytis civitas sit maritima, neutiquam ut sit emporium, quod tamen esse potest. Idem ille locus urbem efflagitat Syriae extremam Aegyptum versus, quae res utraque Valckenaerium eo exagitavit, ut Her. II, 159. in Hierosolymis acquiescens, III, 5. alteram statueret Cadytin. Postremo urbem magnam Sardibus paullo minorem sibi poscit Herodotus. Nos haec ordine, quo attulimus, paucis absolvamus.

Gazam urbem esse ad mare sitam mediterraneum vulgo notum est, et abesse a litore circiter viginti stadiis, disertis verbis affirmant Arrian. II. extr. Ptol. V, 16. Vel, quod a nobis exigere non potueris, emporium est cum Majuma portu, de quo v. Relandi Pal. 791. Quae cum in Cadytin cadere noverimus, satis de hac re dictum puto.

Deinde Kadytis est urbs Syriae Aegyptum versus extrema. Ait quidem, ab Jenyso usque ad lacum rursus Syrorum esse emporia, sed emporia modo, non terra Syrorum est ex sententia Herodoti II, 12. ubi verbis τῆς Ἀραβίης τὰ παρὰ θάλασσαν Σύριοι νέμονται perspicuum est, a Jenyso etiam usque ad Aegyptum Herodoto protendi Arabiam. Neque mirum, si Herodotus alio loco sibi non constans Casium montem Syriae habet terminum, II, 158. cum ob Arabiae intercapedinem Gaza primus, Casius mons secundus existat terminus. Antiquitus autem, Arabia nondum interposita, Aegypti fines usque ad Gazam ipsam excurrebant; et sic in libris Hebraeorum sacris deprehendimus Gazam Syriae Aegyptum versus ultimam. Gen. 10, 16. Jos. 15, 47. 1 Reg. 5, 1. 4. ubi גְּבוּל־מִצְרַיִם post est עַזָּה. In eandem sententiam abit Arrianus l. l. Igitur Difficultate illa sublata, novum effecimus argumentum,

Kadytin non esse nisi Gazam; seriores autem scriptores, Liv. 35, 13. Abulf. tab. Syr. 3. merito nil curamus.

Devenimus ad illud argumentum, quod ad efficienda ex Cadyti Hierosolyma inprimis extollebant VV. DD. describi Herodoto Cadytin urbem magnam, Sardibus haud multo minorem; eam autem Palaestinae urbem sola extitisse Hierosolyma. Quae res falsos habuit VV. DD. Inprimis magnam fuisse Kadytin, in hoc nobis erit subsistendum, cum de Sardibus id modo constet, easdem haud exiguas fuisse. Strab. XIII. ed. Thom. Falconer II. p. 897.: Ἀι Σάρδεις πολίς ἐστι μεγάλη. Ovid. Metam. XI, 137.: Vade, ait, ad magnis vicinum Sardibus amnem. At ex maximarum Syriae civitatum numero fuisse Gazam, multis testimoniis confirmatur. V. *Arrian. II*, 27. *l. l.* [1]) et quinque menses Alexandro M. obstitisse, non munitam modo (unde nomen traxit), sed magnitudinem quoque urbis prodere videtur. Lucano etiam III, 216. cum Nino Damascoque, urbibus famosis, conjungitur. Azotus quoque patri historiae magna aeque ac Cadytis urbs describitur II, 157., neque ut minorem Azoto habeamus Gazam, ulla re debemus moveri. Straboni XVI. saltem juxta Asdodaeos Gazaei commemorantur, quos cum Judaeis Idumaeisque componit. Magnitudo igitur quoque Cadytis sententiae meae minime adversatur, etsi ea contra Hierosolyma non magis uti possumus, quam argumento ex nomine Syrorum Palaestinensium Her. III, 5. ducto, quos pro Philistaeis modo, exceptis Judaeis, habere vetamur loco Herodoti II, 104.

§. 6.

De nomine Καδύτιος.

Opposuisse olim Wesselingium Isaaco Toussaint, nomen Cadytis ab Gaza discrepare, supra monui. Refellere hanc Wesselingi opinionem, meum est. Igitur Gaza Hebraeis est עַזָּה, et ipso Gazae nomine Hebraeorum ע facile in palatinam transire lite-

[1]) *Μεγάλη δὲ πόλις ἡ Γάζα ἦν — ἐσχάτη δὲ ᾠκεῖτο ὡς ἐπ᾽ Αἰγύπτου ἐκ Φοινίκης ἰόντος.*

ram, perspicitur, neque id solum in oribus peregrinorum, sed ipsis quoque Semitis. עטר fit כתר, עשׂר conjungendum cum כשׂר, כְּבִיר primo idem est, quod עֹמֶר. Porro docent Grammatici, feminini generis terminationem ־ָה in ־ַת posse mutari, cf. נְגִינַת, חַיַּת, vel in ־ֶת, עֶזְרַת et cum simul ו saepissime, praecipue Syris, immutetur in ד, nec non Graecis ζ in δ, nulla molestia efficimus Kaddat, et geminatione ex more Syrorum sublata, Kadat, ita ut facillime inde enascatur Κάδυτις. At Hebraeos nunquam scripsisse בַּזָּה ne quis objiciat, non vereor; nam utramque literam non potuerunt mutare, nisi ob sonum earum persimilem, quod idem in ז litera valet. Geminationem autem sublatam compensavit Hecataeus, cujus ex libris deperditis Syriae urbem Stephanus Byzantinus offert Κάρδυτιν. Dagesch forte compensari posse R litera notissimum. Sic קַרְדֹּם derivatur a r. קדם, et simillima nostrae accidit nominis immutatio in יַבֹּק fluvio, qui Rabbinis in יַרְמוּךְ, (Arabibus et Syris Jarmuch) vocabulum corrumpitur. Ceterum v. Gesen. Lexic. hebr. s. R litera. Vel ר et ז ipsae possunt Semitis commutari, ita ut בָּרָק sit etiam בָּזָק, اشرق שׂוּף. facilius etiam tota res sic expedietur, ut Herodotum in nomine gent. עַזָּתִי haesisse credamus, sacerdotum verbis minus recte acceptis. Quae praeterea habentur nominis formae, Κάνυτις, et Κάλυτις, corrupto Δ in Λ et N literas ortae videntur.

§. 7.

De consilio Aegyptiorum et fine in expugnanda Gaza.

Magni momenti fuisse et invasuris Aegyptum Asiae exercitibus aeque ac bellum caventibus Aegyptiis validas et munitas Philistaeorum urbes, cum ultro patet tum dudum judicarunt docti. Haec causa fuisse videtur, cur et Assyrii oppugnarint Azotum Jesai. 20, 1. et Psammetichus per XXIX annos clauserit obsidione. Etenim ex quo in immensum adauctum Assyriorum, post Chaldaeorum, imperium regnis occidentis excidium minitari coepit, interfuit Aegyptiorum, validis et munitis Philistaeorum urbibus potiri, interfuit idem hostium, cum per Philistaeam solam possit, ni classe appel-

lare, expeditio in Aegyptum fieri. Verum nequaquam diffido, quin omnes in meam eant sententiam censentis, longe gravioris momenti et Aegyptiis et hostibus extitisse Gazam, quae magna et munitissima urbs, sita in ipso ore Aegypti et aditu haud immerito positione jam sua porta simul claustrumque Aegypti dicatur. Congruum igitur expugnata a patre Azoto, ut Nechao filius quae restaret Gazam caperet. Occupavit autem et sine dubio firmavit praesidio post Carcusiense proelium in Aegyptum redux, hostilem Nebucadnezaris in Aegyptum incursionem pertimescens. Contra quam inepte aggressus esset Hierosolyma, sibi inutilia, hostes ut extra viam Aegypti sita nil moratura, quo minus, missa ea facientes in Aegyptum irrumperent. Sed hoc tanquam exemplum attuli, neque in eos dictum esse potest, qui Kadytin Hierosolyma esse putaverint, cum *a reduce* Nechaone captam esse Cadytin, nisi Gazam esse ponamus, nequaquam possit evinci. Verum tum demum, postquam Carcusii male pugnavit Nechao, captam esse Gazam, in §. sequenti demonstrabo.

§. 8.

Quonam anno expugnata sit Gaza.

Ad arcendos quidem ab sua terra hostes Aegyptiis obtinuisse Gazam non potuit non ex consilio esse; sed ultro bellum illaturis et extra terminos suos promoventibus arma tempus viresque in oppugnanda ante urbe munita atterere alienum a consilio videri debuit. Qua ex re sola jam conjectura assequimur, ab reduce Nechaone captam esse Gazam. Ex Herodoti quidem narratione videri potest Nechao statim a pugna ad Megiddnntem Gaza potitus; verum nec cladis ad Carcusium acceptae ulla fama ad Herodotum perlata est invitis male gesta sua cum peregrinis narrando communicare sacerdotibus. Quodsi secus statuamus, novi erroris arguendus erit Herodotus, cum Nechao prius Gazam pervenisse potuerit, quam Megidduntem; et biblia nobis adversantur, ex quibus ipsis Gazam

post cladem Carcusiensem captam efficiemus. Ubi firmum statuerimus Hierosolymae eversae temporis momentum annum quingentesimum octogesimum octavum a. Chr. n., undecim regis Zedekiae annis, dimidio Joachasi Jojachinique regum et undecim Jojakimi annis summae additis cf. libros Reg. et Ez. 40, 1. efficiemus annum sexcentesimum undecimum, quo in Syriam expeditionem susceperit Nechao mox caesurus Josiam regem, quem excipiens Joachas 2 Reg. 24, 31. praeterlapsis tribus mensibus successorem habuit Jojakimum fratrem. Perspicuum jam est ex cap. Jeremiae 46, 2. 25, 1. commissum esse Carcusiense proelium anno Jojakimi regis quarto, sexcentesimo sexto a. Chr. n. Atqui oraculum illud Jer. 47. post pugnam ad Carcusium factam, necdum expugnata a Pharaone Gaza editum affirmat titulus V. I. Unde consequitur, *Gaza post diem Carcusiensem Nechaonem esse potitum.*

Multos circa illud temporis intervallum ambitus fecerim, si quae de obscuris illius aetatis rebus variant auctores, omnia exsequi velim. Haec sufficient mihi. Rectà a Nechaone petitos Assyrios non esse, supra monui, quamobrem oblique modo verum tetigisse habenda est narratio 2 Reg. 23, 29. 2 Chron. 35, 20. Ex loco posteriori efficere poteris, oppugnatum esse ab Nechaone Carcusium; captum esse, quam Prideauxi, Marshami, 'Heini sententiam miratur Valckenaer, et firmo praesidio munitum [1]), id quod narrat Rennell l. l. p. 683., opinionem esse de nihilo conceptam ajo. *In Assyrios* autem expeditionem fecisse Nechaonem, disertis verbis exhibent libri reg. l. l. quae res, Ninum regnumque Assyriorum vel Nechaonis aetate permansisse, documento est. Cur Nebucadnezar Assyriis auxilia tulerit, non satis est in aperto, neque quae ad historiam illius aetatis pertineant, unquam satis explicari posse spero.

Jam ad rem redeo; restat enim, ut quibus terminis illud temporis spatium, quo Gazam cepisse Nechao sit putandus, circumscribendum sit, explicemus.

---

[1]) Anglus interpres Jer. 46, 2. habet "in Carchemish" pro at C. At בְּ non modo "in" praepositionem refert. 1 Sam. 30, 21. 1 Reg. 15, 27 etc.

Inde a quo capta esse possit, terminus jam indicatus est, annus sexcentesimus sextus, neque Nebucadnezar anni sexcentesimi quinti fine affuit. Etenim Jerem. 26, 9. legimus, quinto Jojakimi anno (DCV ante Chr. n.) mense nono imperata esse Hierosolymis jejunia (extra ordinem) et confluxisse ex agris municipiisque incolas in urbem. Quod factum esse ob terrorem belli Chaldaici censens nimium mihi sumpsisse ei non videbor, qui legerit locum Jerem. 35, 11. ubi ob id ipsum Rechabitae Hierosolyma fugisse narrantur cf. 4, 5. 8. 6, 25. Neque igitur fine anni sexcentesimi quinti tempore brumae advenerat Chaldaeus, sed adventabat, et potest affuisse initio anni DCIV, anno Jojachimi VI vixdum coepto. Quoniam vero praesenti cum exercitu Chaldaeo rege Gazam Nechao non potest cepisse, antea factum est. Ex altera parte pugna Carcusiensis ante Martium mensem (quo ferme incipit Hebraeorum annus) anni DCVI. pugnata non est; quodsi esset, in tertium etiam Jojakimi annum incideret. Praeterea si reputaveris, aliquantum temporis consumpsisse in reditu Nechaonem, nec statim urbem validam et munitam expugnari, vix a fine anni DCVI usque ad initium sexcentesimi quarti capi potuisse Gaza censebitur, ita ut rectissime statui possit, *anno sexcentesimo quinto Gazam esse captam*, reverso Nechaone, necdum Nebucadnezare praesenti.

Sed via jam confecta, finem faciamus opusculi. Ut igitur quibus effecisse mihi videar Cadytin esse Gazam rationibus, relegendo vestigia breviter comprehendam: Cadytis *Gaza* est habenda ob consensum Jeremiae cum Herodoto in narranda ejus expugnatione, ob situm Gazae congruum in ora Syriae Aegyptum versus extrema, ob magnitudinem aptam, nil adversante nomine, et prudens tandem Aegyptiorum in ea potiunda consilium, cum alia urbs conveniens inveniri nequeat et Hierosolymis potitum fuisse Nechaonem neutiquam sit verisimile.

T H E S E S.

I.

Errare ajo grammaticos, qui יוּבַל conjugationis Huphal esse statuant.

II.

Loco Ps. XXXV, 7., ni שַׁחַת post רִשְׁתָּם collocetur, sensum inesse nego.

III.

Deut. XXXII, 11. יָעִיר vertendum: invigilat. Secus opinantes falsi sunt.

IV.

Jesai. XXVII, 8. בסאסאה mollius expressum esse perhibeo pro בְּזַעְזָעָה.

V.

Ps. XLV, 3. יָפְיָפִיתָ Conjugationis K'taltal esse contendo. Quae de hoc vocabulo vulgo feruntur, ex vano hausta sunt.

VI.

In constructione, quam dicunt accusativi subjecti cum infinitivo, accusativus ab infinitivo pendet.

VII.

In historica decem Vezirorum ed. Knös p. CI. l. 9. تتخوم, p. CIV. l. 11. كالسعفة legendum est. In utroque loco emendando oleum et operam perdidisse habendus est libelli editor.

VIII.

Thebae Aegyptiacae a Nebucadnezare eversae sunt.

IX.

Echatana Syriaca Herod. III, 62. 64. persuasum habeo esse Epiphaniam, ad Orontem sitam.